

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-750854-p0002-9

DFG

h.76,4s.

Ya
3331

DE
RECTORIBVS SCHOLAE CRVCIANAE
SECUNDA VICE SCRIBIT
ET
**MAGNIFICVM EPHORVM
PRAECELENTISSIMVM**
REIPVBЛИCAE DRES.D. SENATVM
SVMMЕ REVERENDOS ECCLESIAE
MINISTROS
VTI ETIAM OMNES
PATRONOS ATQVE AMICOS
SCHOLAE NOSTRAE PIO CVLTV ATQVE
HONORE PROSEQVENDOS
AD
ACTVM VALEDICTORIVM
NOVEM IVVENVM PARTIM EGREGIAE PARTIM
NON LEVIS SPEI
D. XVIII. APR. A. R. S. cIcI CCLXXI.
PRAESENTIA SVA ORNANDVM
DECENTISSIME ROGAT ET AMICISSIME
INVITAT
DANIEL TRAVGOTT MÜLLER
RECTOR SCHOLAE CRVC.

DRESDAE
TYPIS HARPETERIANAE VIDVAE.







uam inuidiosum sit, quamque difficile, muneri praesse, quo
ante nos non tam ornati fuere, sed quod ornarunt Viri ce-
lebres, docti atque multis meritis insignes, siquidem, licet
in eos, tanquam in speculum, inspiciamus, ex iisq[ue] nobis sumamus exem-
plum, eorum tamen virtutes atque facta vix ac ne vix quidem, vti in votis
habebamus, exprimere valemus, iique semper desiderantur; ego quoque re
ipsa exterior, et potissimum tunc perspicue conspicio, si Viros illos quinque,
qui ante me Rectoris munus in schola hac Cruciana sunt tuiti egregie,
curatius intueor. Loquor nempe *Bohemum*, *Egenolfum*, *Gelenium*,
Schoertgenium atque *Kretzschmarum*, de quibus, quantum tempus aliae-
que res circumstantes permittent, mihi nunc esse scribendum recordor,
quia praeterito anno de prioribus decem scholae nostrae Rectoribus me
quædam, non plane improbata, cum orbe litterario et Dresdena præcipue,
elegantissime eruditio[n]is fede, communicasse recordor. Verum enim vero
oculi mei horum obtutu nec fatigantur, nec hebetantur, sed aciuntur potius
atque confirmantur ad ea, quae ipsis doctorum optimae notae et nomen
et omen pepererunt, imitatione exprimenda, in primis, cum vires meas
illorum quidem robur non attingere, libere fatear, et tamen nec mihi
candorem, nec voluntatem, nec meorum discipulorum commodis inser-
niendi studium deesse p[re]me feram,



Ibi adeo, vbi prima vice substi^tti, nunc perrecturus, *Georgium Hausmannum*, decimum post repurgata sacra scholae nostrae Rectorem, exceperit

XI. *Ioannem Bohemum*, et non solum diu, sed et optime de schola nostra fuisse meritum, nunc indico. De Viro hoc praestantissimo atque celeberrimo quid in primis sit dicendum, quid silendum, fere nesciens, e Vita eiusdem, quam terzo carmine Elegiaco conscriptam M. *Tobias Petermannus*, Pirnensis scholae tunc Rector Emeritus, edidit (a), principiⁱ loco duo ultimos hic transcribo versiculos, sic se habentes:

Immo *Bohemus* erit, dum *Dresda* erit atque *Lyceum*,
Quumque nec hoc, nec erit *Dresda*, *Bohemus* erit.

Vir hic scholae natus, atque nominis sui meritorumque fama maxime inclutus ita inclaruit, vt de eo ad se vocando sibique adserendo non paucae spectatae quasi certamen inirent vrbes, quem vero nulli nisi Halae Saxonum et Dresdae, Saxoniae ocello, possidere contigit. Lucem hanc communem confpexit d. XI. Iun. a clo lo XCIX. Ditmansdorffii, in vicinia Freibergae. Sidera si species eo nato obseruata, non infelicia ea dicas; se namque ambiabant Iupiter atque Venus (b). Sed quid ad nos sidera, quorum vim, atque indolem et fortunam hominum tunc natorum iure meritoque nostra reiicit aetas? Alia erant, fortunam exoptatam nostro Bohemo ominantia, eamdemque promouentia, parentes nempe non quidem spectati, sed tamen honesti atque probi; pater nempe Martinus, illius pagi incola, et mater Anna Mühlbergeria. Hi parentes, quos ipse sua fama obliuioni eripuit, eum non solum sacro fonte abluendum, Ioannis nomine insignitum, curarunt, sed et Christiano more doni educatum, scholae primum Rensbergensi, deinde vero Freibergensi, cui tunc cum aliis Joannes Schellenbergius praeverat, demandarunt; vbi beneficiis potissimum Tobiae Schmidii, mercatoris spectati, sed et litteris tam bene fuit instructus, vt Vitebergam anno, qui ob repurgata centum abhinc annis sacra Euangelicae ecclesiae affulsi laetissimus, nempe 1617. abire, ibique D. Ambrofio Rhodio Rectoris Magnifici spartam obtinente, studiosorum albo nomen dare, eorumque numero optimo inseri posset iure. Ibi per

deccm

(a) Dresdae in forma 4ta tribus plagulis A. 1677.

(b) Quae verba sunt Petermanni l. c. v. 17. sq.




decem annos moratus, non solum doctissimos Theologos, Philosophos,
et linguarum doctorum magistros sedulo audiuit, sed et tam Graecorum
et Romanorum, quam Hebraeorum, Chaldaeorum, Syrorum atque
Arabum linguas aliasque scientias adeo sibi reddidit familiares, vt alios,
et in his praecipue Wellerum, Dresdenium postea decus, institueret,
et a. 1620. dignitate Magistri, et a. 1625. laureae Poeticas honore ornare-
tur. Theologorum, qui tunc Vitebergam illustrabant, Frid. Balduini,
Balth. Meisneri, Nic. Hunni et Iac. Martini suasu quidem ab orationibus
saceris non abhorruit, sed praecipue tamen vitae scholasticae iuuentutisque
instituenda arsit amore, inter paucos adeo referendus, qui suam operam
suamque vitam scholis sponte dicant. Quam bene tempus suum Vitebergae
consumserit, testimonium a Fabricio Laurentio, ordinis Philosophici Vite-
bergensum nomine, ipsi exhibitum loquitur, dignissimum, quod hic repe-
teretur (c), nisi plura de Bohemo dicenda et paginae angustia id vetarent.
Nec successu caruit haec Vitebergensum commendatio, nostrique fama
mox ita percrebuit, vt a multis ipsi offerrentur munera scholastica. A. sta-
tum 1627 Interboca ei Rectoris in schola sua munus obtulit, quod quo
minus acciperet, litterae Stetino missae impediuerunt, ybi in Paedagogio
Principum Sub-Conrectorem eum habere cupiebant. Sed nec huic propo-
sito annuit Deus, sed Halae Saxonum eum donare destinauerat, ybi speci-
minibus consuetis editis, et paelectionibus, quas vocant, exploratoris
habitibus, d. 12. Iul. a. 1627 Conrectoris spartam solenni more capessit.
Quantam famam sibi parauerit ibi, quanto amore omnes eum sint complexi,
vel ex eo liquet, quod Magistratus illius urbis Amplissimus eum aduenien-
tem munere dato liberaliter exceptit, et mox huc, mox illuc ad alia munera
suscipienda in uitatum precibus aliquamdiu retinuit, et eius annuum, ligna
et frumenta, quandiu ipse hoc munere fungeretur, ipsi soluenda auxit,
eiusque curam se ita habiturum promisit, vt non posset, quin gratus ce-
lebraret (d). O rarum et insigne exemplum Viri in scholastico puluere
desudantis, et laude sua gratiaque non priuati, quod nisi inter rarissima
effet

A 3

(c) Hoc et plurima de Bohemo nostro e Vitae Curriculo, concioni funebri,
nostro Bohemo a M. Chrift. Lucio, Oratore tunc ad aedem B. Virginis
apud Dresdenes habita, et a. 1677. in forma 4ta typis impressae, ad-
iuncto desumpta, non diffiteor.

(d) vid. Lucium l. c. p. 74 sq.



eset numerandum, haberemus omnino plures, qui lubentissime vires suas, scholae inseruendo, consumerent. Interim tamen Deo placuit, Bohemum alio mittere, et mox Nordhusa, mox Islebia, mox Numburgum, mox etiam Academia Iulia eum sibi doctorem videbantur vindicatae, et denique etiam Freiberga, quae Bohemum nostrum adolescentem, blandae matris instar, fixerat atque formauerat, eiusque studiorum praeclara posuerat fundamenta, eum tanquam suum sibi vindicare, suaque scholae praeficere voluit. At omnia haec variis, quos hic recensere nimis longum foret, impedita sunt modis, et Dresda sola eum obtinuit, fidissimum et solertissimum scholae praceptorum habuit, et per longam annorum seriem possedit, donec a Deo ipso rude donaretur, et bonis aeternis atque caelestibus imbuueretur. De dexteritate, fide et eruditione, quas et hic exhibuit, quasque Dresda, caput urbium Saxoniarum, in eo semper est admirata, quae eum, id plane non opinantem, blonde ad se pelleixerat, atque id munus non recusantem, Rectorem scholae vocauerat, omnia notanda hic adiungere si vellemus, tempore nos desitutum iri, facile est creditu. Loquuntur haec omnia curriculum vitae eius concioni funebri adnexum, vates ille senior, *Petermannus*, nec non *Ludouici* historia scholarum (*e*); loqui sunt denique Viri illustres et grauissimi, et innumeri, qui ex ejus schola, tanquam ex equo Troiano, prodierunt celeberrimi et de republica postea meritissimi. Quam indefessa eius fuerit diligentia Pandectae nostrae scholasticae, sive rerum ad scholam d. Crucis attinentium, quarum ipse fuit auctor, clarissime demonstrant. Quanta eius fuerit spes atque exspectatio, ex eo appetet, si consideramus, quantopere numerus discipulorum, illo Rectore, fuerit auctus. Ipse in Pandectis manuscriptis, iam saepe citatis et adhuc citandis, testatur, se d. 23. Nov. a. 1639. primum legere publice incipientem, viginti, qui dicuntur, primanos et decem secundanos intuenisse. Sequenti vero anno octoginta duo pueri atque adolescentes scholae nostrae sunt inserti, et sequentibus quoque annis illa discipulis feliciter fuit aucta, quorum nomina ab illo inde tempore huic libro ad nostram usque aetatem sunt inscripta et adhuc inscribuntur, quae nomina, si res nobis tanti videretur, numerum nempe aliquot milium superantia, integrum completere possent volumen. Non solum vero multi tam Halae, quam Dresdae eius institutione sunt

gauisi,

(*e*) L. II. p. 99 fqq.

gauisi, et insignem inde cuperunt fructum, praeceptoremque suum grata mente postea celebrarunt (*f*), sed Viri etiam Illustres atque Generosi, ex. gr. Caspar de Nordhausen centum florenis iam Halae, et Liber Baro de Gersdorff simili modo centum florenis Drefdae ipsum ornarunt et gratia magna cum multis aliis complexi sunt. Praeprimis floruit, quamdiu vixit, summa *Ioannis Georgii II Serenissimi Principis Electoris Saxoniae*, gratia atque clementia, quem, nondum ad gubernacula sedentem, per tres annos linguam hebraicam docuisse (*g*), merito sibi summo ducere potuit honori. Licet vero inter optimos et non immerito dixeris felices doctores scholasticos fuerit referendus, suorum, quos habuit plurimos, discipulorum amore laetus: non tamen potuit flebilem scholasticae vitae sortem, multas nempe calamitates, euitare, et praecipue ab insipientibus, inficiis et malis hominibus iniuria fuit affectus et contentus. At omnia haec aequo tulit animo, vt concordiam seruaret, nec aliis malo cederet exemplo, se vivere, saepius inquiens (*h*), in schola Crucis (*i*), de reliquo Deo confisus. Nimia dicendorum copia adfluit mihi, ita, vt multa sicco pede transire cogar, et potissimum caussas, quare iam nulli doctorum scholasticorum contingat, esse tam felici, vt tanto, quanto Bohemus discipulorum gaudeat numero. E multis vnicam indicasse sufficiat; superbiā nempe tunc non adeo, vt nostris temporibus, creuisse, et scholas publicas delicatioribus non adeo forduisse. De reliquo tria adhuc de Bohemo nostro sunt subiungenda, eius nempe coniugium, libri et mors. Scriptis nempe compendium grammaticae hebr. notas philolog. in clauem graecae linguae Eilh. Lubini; aulysin dichotomicam Homerianu et Virgiliani operum et libelli Plutarchi de educatione puerorum; orationem dominicanam in 42 linguas translatam cum notis; orationem dominicam syriace et perfice breui analysi explicatam; Kirchen-Calender, oder natürliche und geistliche Erklärung des Jahres und der 12 Monate, in

13 Pre-

(*f*) De eius gratia, qua floruit, dexteritate et nominis fama vide nonnulla testimonia in Ludouici Historia Reat. Gymn. et Scholar. I. c. p. 100 sq.

(*g*) vide Lexic. Erudit. edit. a. 1750. P. I. p. 1188. nec non *Ludonici Schul-Historie*, I. c. p. 102.

(*h*) vid. Curriculum Vitae eius I. cit. p. 59 sq.

(*i*) O auream vocem, cuius vim et post eum multi sunt experti et adhuc experiuntur.



13 Predigten (k); quibus adde, prima vice ab eo Horatii Odas in vernalam linguam fuisse translatas, nec non ipsum edidisse Dispositiones et Programmata (l), Paraenesin ad studia linguarum lat. gr. et hebr. et quae his sunt cognatae, Dr. 1640. 4. Libellum de Sophisticis Elenchis a. 1642. 8. Introductionem ad S. hebr. linguam dichotomicam et facillimam Dr. a. 1665. 8. Notas Philolog. ad Euangelium in festo Nativitatis Christi (m). Matrimonium iniit cum *Elisabetha, Tobiae Praetoris*, Cantoris Freibergensis, filia, qua vitae fideli socia per annos quinquaginta unum usus est, et e qua sex filios et duas filias genuit, filiorum vero quinque mortem viuus adhuc doluit, de uno autem, nempe natu maiore, Io. Davide, peregre profecto, ante suam mortem nihil resciuit, neque mihi aliquid de illo innotuit. At duae filiae feliciter nuperunt, et *Anna* quidem *Elisaber M. Petro Bertramo*, primum Pastori Lausigensi deinde vero Priesniciensi, et *Catbarina Rosina* in matrimonio vixit cum *M. Abramino Werdermanno*, Pastore Afrano Misenae, et hoc mortuo, cum *Ioanne Vogelio*, Sereniss. Principi Electori Sax. ab epistolis secretis, e quibus nostrarum Bohemus viginti octo nepotes et septendecim vidit pronepotes. Tandem hic Vir diligentia inclitus et annis meritisque grauis, nec non verae probitatis studiosissimus, sed et fama atque opibus non desitutus (n), laboribus et, quae officii partes ab eo requirebant, usque ad ultimum vitae tempus functus, catarro, quem Medici vocant, suffocatio coruptus d. 3. Sept. a. 1676. placide inter suorum amicorumque preces exspirauit, honorificeque fuit sepultus, cum Halae tredecim fere annos, Dresdae vero triginta septem docuisset, et septuaginta septem, duodecimque septimanas vixisset. Rarum sane Virtu tam ferreac diligentiae et simul longaui exemplum, de quo ut plura, nauci non aestimanda, quin adiiciam, vix ac ne vix quidem mihi temperare possum. Sed progrediendum et properandum nunc est ad scholae nostrae Rectorem

XII. M.

(k) Quae desumpta sunt e Lexici Erudit. P. I. p. cit.

(l) Quae laudantur in Curriculo vitae eius p. 92.

(m) Haec scripta commemorat Ludouici Schuhistorie, l. c. p. 102 sqq.

(n) vid. Ludouici Schuhistorie, l. c. p. 102 sq.

XII. M. Ioannem Augustinum Egenolfum. Erfordiae ipsum a. 1632.
 fuisse prognatum liquet, et inter maiores eius referendum, auum nempe,
 si recte coniicio, *Christianum Egenolfum*, Poetam, Psalmos et Libros
 Salomonis qui in latinos versus transtulit, et in praefatione multa de suis
 fatis enarravit, docet Lexicon Eruditorum (o). Multa de eo mihi ideo
 esse incognita, quod omnia, quae et ipse in Pandectis nostris de se et alii
 de eo adnotarunt, breuiter et strictius sunt dicta, et concionem funebrem
 ipsi a Bernhardo Schmidio Archidiacono ad D. Crucis aedem ex Pf. 84,
 12. 13. habitam mihi conspicere non licuit. Quia vero cum auctore iam
 saepius laudato Historiae Scholarum eam benigne communicauit Egenolfi
 doctus filius, et hic ex eadem quaedam excerptis et sua Historiae in-
 seruit (p), hunc potissimum ducem sum fecuturus, et, quae potero, de
 hoc Rectore Scholae nostrae optime merito adnotaturus. Natus adeo est
 Erfordiae a. 1632. d. 20. Dec. parentibus, qui se eo post proelium Luzense
 receperant, M. Io. Egenolfo, Pastore in Hermstadt et Stabro in
 Ducatu Saxo-Vinariensi, mortuo iam a. 1637, et matre Maria Regina
Kromayeria. Eadem in vrbe, in schola Gregoriana et Gymnasio Sena-
 torio, pietate bonisque litteris imbutus, academias a. 1649. adiit, Ienensem
 primo, post Lipsiensem, et in hac a. 1653. Magisterii laurea donatus est,
 speciminibusque academicis, opponendo, respondendo, praesidendo, pero-
 rando et praelegendō, eruditionem et egregias ingenii vires declarauit
 omnibus. Berlichiana Iuuentuti a. 1654. Dresda moderator datus est,
 et Dresden Chemnicum ad obeundum Rectoris scholastici munus a. 1658.
 fe contulit. Haec *Ludouicus*. Chemnicii eum per quatuor, et quod ex-
 currit, annos Rectoris munus sustinuisse, ipse quidem non adnotauit in
 Indice rerum ad scholam nostram pertinentium, sed liquet hoc e *Ludouici*
 loco mox citato, liquet etiam ex indice Rectorum scholae Chemnicensis
 subiuncto lo. Gottlob Richteri historicae Relationi de Memorabilibus
 urbis Chemnicii (q), vbi tamen error typographicus est notandus, eum
 hoc munus suscepisse a. 1638, falso referens; liquet denique ex ipsius
 Egenolfi verbis, quae in Indice Praeceptorum scholae Crucianae legun-
 tur.

(o) Vol. II. p. 286. (p) v. *Ludouici Schulhistorie*, l. c. p. 115 sq.

(q) Sive historische Nachricht von den vornehmsten Denkwürdigkeiten der
 Stadt Chemnitz, Ch, 1734, 8, p. 262.



tur (r). Ipse quoque testatur, se Chemnicio huc vocatum ad ConRectoris in schola nostra Spartam ornandam, et praesente toto Senatu a Dno D. Bulaeo Superintendentem, fuisse introductum d. 30. Jun. 1662. Tandem Bohemo e nostra in caelestem scholam a Deo euocato, Rector scholae Cruc. legitime est vocatus, quum quatuordecim annis et quinque mensibus, vt ConRector, omnibus suam dexteritatem optime probasset, et cum M. Io. Valentino Merbizio, nouo ConRectore confirmatus et introductus d. 5. Dec. a. 1676. Idem Merbiziis auctor est (s), quod Egenolfus viginti sex annos natus scholae Chemnicensi praecesse cooperit, et de illa aequa ac postea de nostra insigniter fuerit meritus, nostrae vero praemature eruptus. Idem Merbiziis, qui Egenoltum praceptorum suum et postea Collegam impense coluit et amauit, obitum illius terfa atque laude Egenolfi referta elegia, quam manu sua nostris iam saepe adductis inscripsit Pandectis, pie est prosecutus, et refert ipsum erga se placidum, quid? ipsum Patrem, Collegam vero se impense amasse concordiaeque studuisse, pietatem porro et priscam fidem in eo refusisse, et tamen diu fraudes malorum technasque spectasse, quia nempe Rectorem Crucis crux sua premat. Quod et ipsa a calumniatoribus non fuerit liber, mox sumus indicaturi. Quod disputationibus academicis inclaruerit, theologica sub Praef. *Hilsemanni* in Exegesin Aug. Conf. aduersus Balthasar. Hagerum, et alia sub Praef. D. *Heinrici* in Ies. VII, 14. nec non philosophicis, in quibus praesidem egit de Relatione ex Logicis, de Vniuersali et Singulari ex Metaphysicis, de Mistione in Physicis; quod porro Magni Turci, i. e. Mahometi II. Turcarum Imperatoris Epistolas in gratiam studiosae iuuentutis cum brevibus notis et diversis lectionibus denuo ediderit a. 1686. nec non Iusti Lipsii orationem de Calumnia vna cum Apologo Widebrariano de Agasone a. e. et Programmatibus schol. Dr. a. 1687. collecta publicarit,

(r) In ipsius Programmatibus schol. ed. Dr. in 8. p. 518.

(s) v. eius Progr. de Praeceptorum scholast. meritis in mortem Egenolfi, Rect. Cruc. Dresd. ed. fol. Dr. 1688. quod cum plurimis aliis a VIRO PERILLVSTRI, Patrono meo enixe Colendo, cuius iam priore Progr. gratissimam inieci mentionem, mecum gratiosissime fuisse communicatum, denuo pia mente profiteor,



carit; idem docet *Ludovicus* (t). Exspirauit vero Egenolfus pie et placide d. 7. Sept. a. 1688, cum scholae duodecim fere per annos, Rectoris munere fungens, praefuisse, annumque aetatis ageret quinquagesimum sextum. Si de eius matrimonio et liberis sibus solliciti, videmus apud *Ludouicum*, quod a. 1658. primam sibi iunxit vxorem, *Dorotheam*, viduam *Finsingeriam*, natalibus *Blumeliam*, mortuam a. 1669. deinde vero *Mariam Magdalena*, M. *Hartmanni Schaeberi*, Archidiaconi Cizenis filiam, e quo matrimonio, ipso e vita discedente, cum vidua vixerunt quatuor filiae et unicus filius, *Io. Augustini* nomen etiam habens, de quo varia notata digna commemorantur in Lexico Eruditorum (v), et potissimum eum Collegae III. in schola Prouinciali, quae Grimiae floret, munus habuisse et varia edidisse, refertur, quorum nonnullorum etiam mentio sit in Nouis Litterariis Germaniae (x). Plura de Egenolfo dicenda dum mihi non sunt, finem huic scripto impono, reliquorum Rectorum scholae nostrae historiam ali occasioni reseruaturus.

Alia adhuc sunt, quae indicem necesse est. *Nouem* nempe *Iuuenibus* partim egregiae speci, partim bonam sibi expectationem excitantibus, crastina luce pro modulo virium, breuioribus propter numerum dicentium orationibus, scholae nostrae publice valedictoris **PATRONI** atque **FAVTORES** summopere Colendi sunt conciliandi, ut ipsos beneuole audire velint. Occasionem dicendi sumisi ex Horatii L. I. Epistola 2. illisque, quae quisque loqui debeat, proposui. Dicent adeo sequente ordine:

I. **Io. GOTTLIEB MEYER**, Dresden. Homeri, boni philosophi, laudes
carm. lat. her. depinget.

II. **Io. GOTTLÖB FRIEBEL**, Satisfdorff. de voluptate, peste iuuenium, exemplo iuuentutis Alcinoi ad v. 28. latine,

III. **Avg. GVL. SEYFERT**, Radeburg. de necessitate se seruandi,
sive sapientiae studendi ad v. 33-39. gallice dicet.

B 2

III. CAR.

(t) Qui et adnotauit, quod habuerit inter aduersarios Dn. D. H. in praefat. germ. ad Epist. Cic. minores et alibi, et quod dixerit pro Egenolfo M.S. in tract. ed. a. 1702. H. umgeschickt informirem, inscripto.

(v) P. II. p. 286 sq.

(x) A. 1703. p. 342. a. 1704. p. 295 et 297 et a. 1706. p. 71.

AKYa 3331

12



- III. CAR. GODOFR. FRAVENSTEIN, Dresd. initium in rebus bonis non differendum v. 40. carm. lat. elegiaco euineat.
- V. CAR. GE. HAVPTMANN, Grumbac. sapientiae studendi multas occurrere caussas ad v. 40. grecce monstrabit.
- VI. CHRIST. AVG. LIEBERS, Zeithayn, de paeftantia frugalitatis s. animi suis opibus contenti ad v. 46. germanice,
- VII. SAM. GODOFR. WERNER, Rauit. Pol. de abominando vitio inuidiae ad v. 47. lat.
- VIII. CAR. GOTTLLOB FIEDLER, Boernersd. de damno irae ad v. 59. sqq. versibus gerim.
- VIII. IO. GOTTLLOB KAYSER, Goedlic. de animis adhuc puerosum rite instituendis ad v. 66. sq. lat. aget.

Quibus peractis FRIEBELIVS carni. germ. suo et reliquorum nomine et PATRONIS debitas gratias aget, et scholae vota pia consecrabit, et tandem IO. GEORG. ZSCHEILE, Wilsczdorff. abeuntes bonis votis prosequetur carmine latino.

Vt adeo MAGNIFICVS noster EPHORVS, AMPLIS-
SIMVS urbis SENATVS, SVMME REVERENDI ECCLESIAE
MINISTRI omnesque VIRI summopere colendi et honorandi, qui
nostrae scholae fanent, huic actui, crastina luce, hora secunda pomeridiana
audita, loco consueto beneuelle interesse velint, ego quidem impen-
fissimis oro flagitoque precibus. P. P. Dresdae d. XVIII. April a. r. f.
clo Io CC LXXI.



n.c

Bn Ya 3331, qu
f



2018

onis
ltas
atia
itio
rae
ro:
ine
et
tis
S-
A E
qui
na
n-
f.



B.I.G.

Black

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

76145.

Ya
3331

DE

RECTORIBVS SCHOLAE CRVCIANAE

SECUNDA VICE SCRIBIT

ET

MAGNIFICVM EPHORVM
PRAECELLENTISSIMVM

REIPVBЛИCAE DRESД. SENATVM
SVMME REVERENDOS ECCLESIAE
MINISTROS

VTI ETIAM OMNES

PATRONOS ATQVE AMICOS
SCHOLAE NOSTRAE PIO CVLTV ATQVE
HONORE PROSEQVENDOS

AD

ACTVM VALEDICTORIVM

NOVEM IVVENVM PARTIM EGREGIAE PARTIM

NON LEVIS SPEI

D. XVIII. APR. A. R. S. cIo Ic CCLXXI.

PRAESENTIA SVA ORNANDVM

ECENTISSIME ROGAT ET AMICISSIME
INVITAT

DANIEL TRAVGOTT MÜLLER

RECTOR SCHOLAE CRVC.

DRESDAE

TYPIS HARPETERIANAE VIDVAE.

